

lanceolatam figuram non ambigant. Quæ res sagacissimos sœpe rei herbariæ scriptores fefellit. Quis enim crederet, *Salicem lanatam* foliis lanatis integris rotundis, atque varietatem foliis lanceolatis, serratis glabris, eandem esse speciem. Quæ differentia inter *phylicifoliam* ac *nigricantem*, inter *arbusculam* atque *majalem*; *romarinifoliam* et *arenariam*? Quæ quidem species, me judice, haud differunt. Certe pubescentia nihil refert; nam præter *S. phylicifoliam*, *fuscam* et *versifoliam*, etiam *auritam* atque *lividam* germinibus glabris sœpe animadverti.

§. 14.

Facile quidem largior, esse quandam *phylicifoliam* sensu Linneano distinctissimam, de qua Linnaeus in Fl. Sv. "habitat in pratis *Vestrobotniae* et sylvis *Lapponiae*," scripsit. Quæ vero in *Vestrobotnia* vulgatissima, nulla alia, quam *S. majalis* est (Wahlenb. Fl. Lappon.), scilicet utraque forma (germinibus et glabris et pubescentibus) quarum hæc, ni fallor, *Sal. nigricans* l. c. ex parte. At quæ in sylvis *Lapponiae*, eadem est arbor, scilicet: *S. majalis*; nisi *arbuscula major*, (Wahlenb. l. c.) hujus loci habeatur, cum qua *arbuscula minor*, (Wahlenb. l. c.) omnino confluit; a qua tamen *arbusculam minimam*, (Lin. Fl. Lappon. §. 360. et Tab. 8. fig. m.) diversam statuo,